


X 1905 203



Ph 30

Ph. 30, 14

V c  
2658



E X E Q V I X

ILLVSTRISSI

MÆ ET GENEROSISSI

mæ Principi,

DN. SIBYLLÆ ELI

SABETHÆ,

Ex Illustrissima Celsissimaq; familia Ducum

Wirtembergensium & Teccensium, Comitum Montis

Peligardi & Dominorum in Heidens

heim &c. natæ,

SERENISSIMI PRIN-

CIPIS ac DOMINI,

DN. IOHANNIS GE

ORGII,

DVCIS SAXONIAE, LANDGRAVII THY-

ringia, & Marchionis Mÿsnia &c. Coniugi piæ,

sanctæ & placidæ in Christo 11. Cal. Fe-

bruarij dematæ.

In Christianæ Sympathias declarationem factæ

à

Iohanne Nienborg,

L 308

46







**H**Ei dolor! heu luctus communis id imperat! hasce  
Exequar exequias lachrymis; ut corpore funus  
Insequar hoc, hodiernus, id heu, vult funeris actus!

ACTVS IS! humani est qui meta suprema laboris.

ACTVS IS! humani est honor, & qui finis honoris.

ACTVS IS! Et mihi qui semel instat agendus in Orbe.

Ergò mei tristes oculi jte, oculi jte, dolendo  
Ite oculi in lachrymas, lachrymis uos debeo, & hujus  
Debeo uos tumulo tumulandæ PRINCIPIS. Omnes  
Omnibus adstricti naturæ lege tenemur:  
Alter ut alterius, penitus nisi tollere possit,  
Minuere aut saltem sataget releuare dolorem,  
Quod fit! cum mæstos aliorum pectore casus  
Concipimus nostro, hos ut consolemur. Et indè  
Nil nisi funestum uos hac spectatis in aulâ,  
Nil nisi funestum resonant fora, templa, scholæq;  
Hujus & altricis defunctæ PRINCIPIS urbis.

Et merito! Quis enim tam lamentabile funus?  
Tamq; immaturum? tam præcoce morte subactum?  
Non gemeret secum, si non defleret? Id ergò  
Flete duces, ciues, matres, pueri, atq; puellæ

A ij

Flete:

Flete: sed exemplo hoc quoq; discite, discite Mortis  
Quàm rigidum jus! jus & ineuitabile Mortis  
Omnibus hinc nobis quàm sit! quàm terminus æui!  
Quàm brevis & fuerit Ducis inuida vita! uetusto  
Sanguine TECCIACI Ducis ortæ, dicta SIBYLLA  
ELISABETH, patulæ quæ jam mandabitur urnæ.

Altera vix ducta est reuolubilis Orbita PHOEBI  
Proh dolor! huc primùm venit cum uecta quadrigis  
Quadrupedum glauci sex quas traxere caballi,  
Virgineo stipata choro, stipata cohortè  
Magnatum, circum multoq; satellite cincta,  
Fertur inisse uias ceu quondam per iuga CYNTHI  
Nympharum comitante acie, formosa DIANA.  
Aut velut impauidi collo subuecta leonis  
Magna Deum genitrix Phrygias turrita per arces  
Fecit iter CYBELES, gressus glomerata superbos,

Sponsa micans auro, Tyrio sic murice splendens,  
TECCIACIS egressa focus longo ordine equorum,  
SAXONICOS ingressa focus longo ordine equorum,  
Desponsata Duci IANO pro more GEORGO  
SAXONIÆ Sponso, sociandaq; jure jugali  
Ipsi: ibat cælo sonitus clangorq; tubarum,  
Tympana terribili reboantia rauca boatu  
Aëra, & implebant litui concentibus auras,  
Vndiq; visendi studio confusa ruebat  
Turba hominum. Pueri, Iuuenes, lepidaq; puellæ,

Atq;

Atq; senes, sponsam Ducis intra mænia ducj  
Hanc ubi cernebant, omnes ex omnibus illam  
Suspexere unam ac heroi corporis artus,  
Os humerosq; Deæ similem VENERI, atq; politam  
Mirati faciem roseo niueoq; colore,  
Membraq; cælestes imitantia singula formas,  
Intuiti mores placidos, ac enthea mentis  
Lautia, quæis denso rutilabat in agmine Virgo,  
Laudantes, sic vota dabant conjunctis vocibus illi.

Viuat jò! viuat / sit ELISA SIBYLLA diuq;  
Felix! & felix jungatur ELISA SIBYLLA  
Inter SAXONICOS fratres pro conjuge fratri  
Nympha DUCVM medio, repleat fæcunda penates  
Illius, ut LANOS multos, multosq; GEORGOS,  
In portis videat, videat quoq; mænibus urbis  
DRESDIACÆ. Pariat vel ELISA SIBYLLA SIBYLLAS,  
Illustres eadem pariat vel mater ELISAS,  
Nomina ut amborum mancant in Orbe parentum.

Conueniunt, reor hoc, & sunt dignissima tanti  
Vota Magistratus thalamo ceu sancta, decentq;  
Ista Ducum thalamos spectacula publica, plausus,  
Iubila & ista decent socialia jura, Sed Eheu  
Decipimur uotis! & fati fallimur! & Mors  
Talia deridet solennia ludicra! Quippè  
His ita cum PYLIOS sibi vivere velle per annos,  
Latiùs hoc ambo & sua surgere regna parabant

A iij

Conju

Conjugio, atq; suo de semine condere gentem  
Mens aderat nuptis! Celer & pernicious alis  
Ecce furens licitor fatorum proripit! Ecce (membra  
Monstrum, horrendum, angens, cui quot sunt corpore  
Ossea sunt, hominis referentia membra figuram,  
Vtraq; cui capitis sunt lumina adempta, sed os est  
Cui uacuum linguâ; Vacuum cui dentibus, Ama  
Cæca manum regit & cæco vestigia firmat.  
Horresco hunc digito monstrari & dicier: hic est!  
Ante leui, Mortem, quem diximus ore: lacunis  
De STIGIS & LETHES, de COCYTI ac PHLEGE-  
TONTIS,

Orta luto, nulli parcens moderamine: sese  
Proripit hæc, inquam, fatorum iussa secutus,  
Aggrediturq; DVCEM, IANI DVCIS, illa, GEORGI  
Præfatam lecti sociam, citiusq; deorum  
Ut rem conficeret, non longis febris usus,  
Non macie, non singultu, nec tabe veterno  
Detinet hanc ægram: sumit led callida causam  
Ex Causo, validam quo sic prosternit, & ejus  
Pertentat vires, atq; ossibus implicat ignem,  
Illa, tunsa DVCIS miseré sic viscera torquet,  
Torta thoro recubans ut acuti tormine morbij  
Dixerit! Hei de me Superum nunc alea jacta est  
Ultima! flatq; mei, scio, spiritus ultimus oris!  
Sentio! nec sensus hos fallit opinio! Mundj

Est



Est via totius mihi mox calcanda. MACHAON  
Arte sua, nihil & PODALIRIVS arte; vel herbis  
CLINICVS aut quisquam potis est occurrere morbo  
Crescenti: haud flammis has pelleret CASTOR & A  
CRON

Febriles posset quisquam, si viveret. Ergo  
O Medici medicos succos, remouete liquores  
Pæonios, artes medicamine mittite cassas.  
Major inest CHRISTI verbo recreatio, verbo  
Hoc iter ingrediar, quod me solabitur unum.  
Major inest CHRISTI vis & medicina cruorj  
Quo mea, cuiusvis credentis & uda reatu  
Vulnera sanavit moriens pro fontibus insons  
In cruce: quem bibi toties ego sana cruorem  
Ore sacrum, bibi quem jam moribunda, salutis  
Æternæ in pignus, fidei & munimen: in illâ  
Emoriar firmata fide. Vos limina charæ  
O mea vos patriæ! vos ô saluete parentes!  
Vosq; mei fratres chari! saluete sorores  
Vosq; meæ charæ! magis ô dilecte MARITE  
His oculis, hac luce magis mihi chare MARITE  
Salve! Ac ô salve hæc fatis mihi debita tellus  
MYSNICA/ tu domus es, patria & mihi parta! Reconde  
Ossa, meã ast animam tibi suscipe, CHRISTE, fovendã,  
Vivo tibi, moriorq; tibi, tibi, CHRISTE, resurgo.

Hæc

Hæc effata : DVVIS Mors atria pectoris Amã  
Transadigit, DVVIS & cor rumpit amabile, & illa  
Volvitur egelido letho, lethiq; per artus  
It sopor, inq; humeros caput inclinata recumbit,  
Purpureus veluti cum flos succisus aratro  
Flaccescit, calamo segetes vel ut imbre grauata  
Demisere suas ingenti pondere aristas.

Vidit ut hoc IANVS Dux ille GEORGIVS adstans  
Mortifero extinctam vincamq; sopore maritam,  
Hanc super exanimem sese projecit, abunde  
Moestus, eamq; suis lachrymis madefecit, & ori  
Os, sua labra labris denatae Conjugis addens:  
Has habeas tecum lachrymas, servesq; sepulchro  
Oscula, mi Conjux ait, hæc, quæ prima fuere  
Blandimenta thori nostri, cape blandula nostri  
Crustula discidij, conjux, ô ultimã, conjux!

PRINCIPIS adstantum queruli flentisq; querelis  
His equidem concussi animi, vastusq; sub illis  
Fit gemitus, retrahuntq; DVCEM DVVIS ossa premenz  
Mortua, & illius dictis avertere curas (tem  
Solando cupiunt, sed nullis ille mouetur  
Dictis, non ullas is voces flebilis audit,  
Quercus & ut vento hinc atq; hinc, sic fletibus Heros  
Tunditur, & varios persentit corde dolores.  
Terq; quaterq; suum quatienti verberare pectus

Ac

Accurrunt proceres, manibus famuliq; ca dentem  
Suscipiunt, interq; manus in scamna reponunt.

Hem! ruit extemplò volitans pennata per aulam  
Nuncia faina patris, matrisq; adlabitur aures,  
Amborum subitus pavor & tremor occupat exta.  
Fata pater natæ **FRIDERICVS** is arduus **HEROS**  
Relligionis apex synceræ & juris asylum,  
Luget, & hæc fratres, eadem lugentq; sorores,  
**ASCANIÆ** stirps atq; Ducum generosa **SIBYLLA**  
Ejulat hæc eadem mater sparsisq; capillis  
Femineo complens ululatu compita, cœlum  
Questibus his implet: Mî filia **ELISA SIBYLLA**,  
Non ego te rursùm video! Tune illa senectæ  
Sera meæ requies? potuisti linquere matrem  
Filia me? nec te sub fata celerrima missam  
Affandi extremùm datur hei mihi copia matri!  
Heu terram immitem! sævis ubi præda colubris  
Exanimata jaces! nec te tua funere mater  
Produxi, clausivè oculos, & basia fixi!

Sed sequar! hinc silco, nec culpo fata, **Quiesce!**  
Te funus gelidum tellus habet illa! sequendum  
Et mihi me quò fata trahent, & quandò jubebunt.  
Mœstiter intereà tua busta libabo quotannis,

Sic igitur flore in medio **DVX** & florentibus annis  
Exiit ante annos animam cæloq; locavit,

**B** **Acta**

Acta duos annos nondum nec quattuor acta  
Lustra, DEO cecidit Chariteia ELISA SIBYLLA.  
Illa colore rosæ fuit ô rubicundior, illa  
Brumali folijs pallet pallentior aurâ  
Afflatis / jacet ô! quam nec sanctissima vita,  
Nec pudor & probitas, quam nec querimonia vulgi,  
Vota viri, nec vota patris, nec vota sororum.  
Vota piæ matris, poterant nec votaq; fratrum,  
HEROVM aut plangor tantorum HEROA nec illam  
Incolumem servare sibi, vel flectere Mortem.

Non indignemur! Mors hæc immota quibusvis  
Fistulat hæc hominum, MORIERIS, nænia, binis  
Ossibus humanis pulsat sua tympana: VOBIS  
VÆ QVIBVS HOSPITIVM TERRA EST! Ego  
tinnio VOBIS!

Atq; meis jubeo vos indulgere choreis,  
Enses, Mors, calamis, ego sceptrâ ligonibus æquans,  
Pulso casas humiles & cella palatia Regum.

Non indignemur! Mors hæc lucrosa SIBYLLÆ  
ELISABETH nostræ fuit; hæc quia transtulit hujus,  
Et merito, & puro purgatam sanguine CHRISTI,  
Mors animam, impuro mendosi è coporis antro  
Purius in corpus cœli, convexa tuendo,  
Ac ignara mali, sedes ubi sede quietâ  
Incolit æternas, capiens in pectore fructus  
Lætitiæ, lætum è letho, atq; è funere fœnus

Hau

Haurit, & aligeræ circum gradiuntur ovantes  
Turmæ, pars manibus violas, & rosida spargunt  
Lilia, pars illi sacros properanter amictus  
Inijciunt, Diadema ferunt crollamq; perennem  
Iustitiæ, pars mille lyræ modulamina nervis  
Pangunt, Atq; canunt pars gaudia millia linguis.

Non indignemur! Mors hæc agit ordine verso!  
Iubila & hos plausus, hos & Mors dura triumphos,  
(Queis Ducis hoc corpus, cui nunc præstamus honoris  
Triste ministerium, portas cum curribus altis  
Attigit has primùm, regalis numine pompæ  
Vidimus inductum) vertit Mors, aio, repente  
Plausus in planctus, lugubria jubila reddit,  
Imò triumphales mœroribus imbuat actus,  
Tympana sunt bombi Campanæ & murmura, tristes  
Sunt cantus litui. Iam Mœsta quiesce querela!  
Perstrepit hæc totam cantata Monodia Dresdam,  
Angulus & mœstam dat quælibet Echo querelam.

Ingreditur septus pullato fratre GEORGVS  
IANVS DVX gemino, celebrando charistia, nigrâ  
Veste, suam plorans oculis & voce maritam.  
Hos Comitum, procerû, & sequitur numerosa caterua  
Nobilium, vultus quorum tegit atra calyptra,  
Rore genas, largoq; humectant flumine malas,  
Tristitiæ in signum DVCIS & testamen ademptæ!  
Indè Gynæcæum, niveo velamine, ductum

Bij

Subs


Subsequitur lachrymans, circum peplus omnibus ora  
Virgineusq; chorus, qui suspiratibus ægris  
Æthera, luctifono feriens caua tegmina lessu,  
Amisamq; DVCEM querulo sermone requirit.  
His ita dùm DRESDA FREIBERGAM versus humanæ  
Cernit id auctum iri corpus vulgus, & illud (dum  
Sarcophago inclusum duplici plaustroq; repostum,  
Attrati panno talo tenus atq; calassi  
Quod jugiter sextâ ducunt ceruice jugales,  
Et cataclista operit totumq; holoserica nigrans  
Diuidit & supra medium crux candidus orbem,  
Vndique lugendi zelo concurrit & infit.

Hei! generis fax illa sui, spes illa MARITI  
Fida sui, exemplum HEROIS memorabile diuæ,  
Vera DEI requies & nomine ELISA SIBYLLA  
Hinc iterum nobis subducitur, anchora tuta  
Rebus in aduersis, certum solamen egenis.  
Casta, modesta, vago nec fastu turgida, nulli  
Noxia, spectatæ pietatis maxima cultrix  
Quæ fuit, illa DEI curâ plenissima cessit  
Naturæ, post se desideriumq; relinquens  
Grande sui, nobis eripitur ocyùs! ac nos  
Hei miserum vulgus speravimus! Aufert  
Sic quod amat semper DEVS hinc, & ad astra reducit.  
Ergò valete DVCCIS cineres & busta valete  
Sacra DVCCIS nostri, vos ô dormite: vicissim

Donec

Donec fert vobis in membra priora regressum  
Venturus iudex DEVS is in fine dierum .

Hæc DVCIS exuvijs volui, DVX IANE GEORGI,  
Conjugis atq; tuæ feralia carmina, mentis  
Gratæ & subiecti monimenta dicare parata  
Servitij, placido quæ vultu perlege. Quæso!  
Pone modum lachrymis, debet vehementior æquo  
Non dolor esse viri, non est, quæ fletibus expers,  
Iam nimium deffenda tibi, cui Rector Olympi  
Omnes absterfit lachrymas cælestis, & inter  
Quam posuit cœli Heroas, animasq; beatas.



D. Bern<sup>m</sup>

D. BERNHAR

D V S.



Vid in rebus humanis certius est morte, quid incertius horâ mortis inuenitur? Non miseretur inopiæ, non reueretur diuitias, non sapientiæ, non moribus, non ætati deniq; parcit: nisi quod senibus Mors est in januis, juvenibus verò in insidijs.

S E N E C A



Votidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoq; cum crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus, deindè pueritiam, deindè adolescentiam usq; ad hesternum. Quicquid transit temporis, perit. Hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte dividimus.



D R E S D Æ,

Excudebat Hieronymus Schütz,

Anno 1606,

MC





ri  
li  
ti  
a

e  
q;  
m  
n-  
fit  
us



No. 2658 A\*

26

1017





WDA





Ph 50, 14



V c  
2658

1308

